Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 459
Quelle:
Copyright:

Martyrum ab idolatria vindicando primam hac ratione oppressit. Secunda vero pullulavit per Aetium et ejus discipulum Arium, quae antequam uires concepisset, a trecentis octo patribus Constantino imperatore extincta, magnas paulo post flammas Eunomii viri eloquentis ac pessimi studiis, praedicationibus, incendiis edidit, cujus impientissimo furori qui resisteret, nemo inveniebatur; nam cum Valens indignus orbis imperator omnes imperii vires suaque consilia omnia ad Eunomii patrocinium, veritatemque evertendam propalam convertisset, nullus dicere quid, aut scribere contra audebat, quod imperatoris animum turbare, iramque acuere, furoremque indomitum effrenare posse videretur. Excitavit igitur Deus in illis tot tantisque fidei florescentis difficultatibus Basilium illum, cui magno cognomen fuit, qui maxime omnium sanctitudinis, sapientiae et Litterarum columna, per gratiam sibi ex alto datam, forti animo atque invicto fidem tunc nutantem sustinuit catholicam, Eunomium ejusque consiliis subscriptores prostrauit, Valentis solum cum Gregorio Nazazeno assectatore cogitationes praevenit, studia oppressit, vires extinxit, neque rebus his, quibus tunc ecclesiam summis cum periculis liberavit, animo satis suo esse factum arbitratus, posteris quoque fidelibus, ne quandoque illorum impietate corriperentur, voluit consulere, atque prospicere. Itaque aduersus Eunomium sic acute, graviter, commodeque conscripsit, ut non aliter, quam spiritus sancti voces esse ab eo conscriptas existimare liceat. Hos adversus Eunomium libros in latinam linguam e graeca nobis conversos tuo nomini potissimum dedicavimus, cum virtutis et fidei praestantia, tum imitatione rebus ipsis in Basilium tua, omnibus enim et tu viribus, consiliis, studiis religionem christianam contra infideles ac haereticos summis tuae cum Vitae periculis domi forisque tutaris, tuaque unius opera et consilio fractos et pene euersos crucis hostes videmus. Unde et in coelis praemium a Deo tibi repositum, et apud homines ad immortalitatem posteritatis tribuetur perpetua laus gloriaque tuorum meritorum. Quamobrem hoc tuo animo solicitudineque pro republica christiana non mihi solum verum toti christianitati cognito et perspecto, quoniamque decet Archiepiscopi opus Archiepiscopo offerre, Tu in primis nobis ex omnibus occurristi, cujus benemeritis caeteros video tuae virtutis perpetuitatem liberaliter exoptare. Eam nominis tui felicitatem nos etiam pro viribus in communi extollere ac conservare cupientes statuimus haec magni Basilii ex abditis Theologiae edita a nobis traducta tuae dignationi offerre, et Archiepiscopum Cappadociae caesariensis laborantis ecclesiae defensorem Strigoniensi Archiepiscopo eventibus christianis, divoque Mathiae pannonio regi cura, studio, prudentia, orationibus velut alter Aaron succurrenti conjungere, ut quorum officia, labores, pericula eadem pene sunt, etiam laus sit

eadem